reat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat; Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Eugenii PP. ſubſcriptio. Dat. die 13. Junii anno Dom. 1153. Pontif. an. IX.

EGO EUGENIUS Catholicę Eccleſię Epiſcopus.

Datum Romæ, apud S. Petrum per manum Rolandi Presb. Card. & Cancellarii, Idib. Junii Indict. I. Incarn. Dominicæ anno MCLIII. Pontificatus vero D. Eugenii III. Papæ anno IX.

L V.

Monaſterio Beccenſi confirmatur poſſeſſio Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis de Bello-monte.

Ex Concill. Tom. XII. coll. 1631.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Letardo Abbati Beccenſi, ejuſque fratribus ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

OFficii noſtri nos hortatur auctoritas, ut quos erga ſanctam Romanam Eccleſiam, & nos ipſos, devotiores eſſe cognoſcimus propenſiùs diligamus, & ſuam eis juſtitiam Sedis Apoſtolicæ munimine confirmemus. Hujus rei gratiâ, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris noſtri Rotrodi Ebroicenſis Epiſcopi precibus inclinati, veſtris juſtis poſtulationibus gratum impertimur aſſenſum, & poſſeſſionem Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis de Bellomonte cum omnibus pertinentiis ſuis, a venerabili fratre noſtro N. Rothomagenſe Archiepiſcopo canonicè vobis adjudicatam, apoſtolica vobis auctoritate confirmamus, & præſentis ſcripti munimine roboramus: ſalvis nimirum præbendis Canonicorum ſuperſtitum. Si quis autem, hanc noſtrę confirmationis paginam ſciens, contra eam venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, atque indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat.

Eccleſiam ſanctæ Trinitatis de Bellomon. Monaſterio huic adjudicatam confirmat.

Datum Viterbii IV. Idus Decembris.

L V I.

Sequitur in idem argumentum.

Ibid. coll. 1632.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Letardo Abbati, & Monachis Beccenſis Monaſterii ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

QUando inter religioſas perſonas de terrenis rebus controverſia naſcitur, ita ſacerdotali eſt ſolicitudine finienda, ut creſcere non poſſit ex mora contentio. Quod nos intelligentes, controverſiam, quæ inter vos, & Robertum Priorem, & Canonicos ſanctę Fridewidæ de Oxenefordia ſuper Eccleſia de Bellomonte, & omnibus ejus pertinentiis, diu agitata eſt, hoc modo terminavimus, & hac tranſactione penitus litem deciſimus; Prædictus ſiquidem Robertus & Canonici toti prorſus querelæ & juri, quod ſe in eadem Eccleſia de Bellomonte, & pertinentiis ſuis habere contendebant, vobis in perpetuum renunciarunt, & ea in manu noſtra liberè refutarunt. Unde a vobis per manum noſtram ſimiliter villam, quæ dicitur Divotana cum omni decimo Dominii ejuſdem villæ Ruſticorum de ipſo tantum feudo percipiendis, in ſuum perpetuum dominium receſſerunt cum omnibus pertinentiis ſuis, in paſcuis, & pratis, boſco, & plano, & molendinis: ſalvo vobis univerſo jure reliquo parochali, & tertia garba decimæ ruſticorum ejuſdem villæ, quæ ad Eccleſiam de Hundrefort, in cujus parochia ipſa villa eſt, propriè ſpectat; ita videlicet, ut in ipſa villa Eccleſiam vel cappellam numquam impoſterum Canonici conſtruere valeant. Quia igitur noſtri officii eſt, ea, quæ pro religioſorum quiete præcipuè per nos ipſos ſtatuta ſunt, in ſua ſtabilitate firmare, eamdem deciſionem ſive compoſitionem, Sedis Apoſtolicæ auctoritate firmamus, & ab utraque parte firmiter obſervari præcipimus.

Tranſactionē inter Abbate Beccen-, & Priorem ſanctæ Friſdevvidæ decidit.

Eamdem confirmat.

Datum Pariſius VI. Kal. Junii.

Dat. die 27 Maii.

LVIII.

Bituricenſi Eccleſiæ Primatus in Bituricenſem, & Burdigalenſem Provincias confirmatur.

Ibid. coll. 1617.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ven. fratri P. Bituricenſi Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis, in perpetuam memoriam.

Exordium.

OFficii noſtri nos hortatur auctoritas pro Eccleſiam ſtatu paternam ſolicitudinem quærere; & earum quieti ac paci, auxiliante Domino, ſalubriter providere. Juſtum namque eſt, ut dignitatem, Eccleſiæ vel perſonis, Apoſtolicæ Sedis liberalitate conceſſams nos quoque auctore Deo firmam & inviolabilem conſervemus. Tuam ergo, frater in Chriſto cariſſime Petre Archiepiſcope, devotionem circa nos & circa Sanctam Romanam Eccleſiam, cujus filius ſpecialis es, & in qua ſacros Ordines ſuccepiſſe dignoſceris, attendentes, nobilem Bituricenſem Eccleſiam, cui Deo auctore prędides, ſub S. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & pręſentis ſcripti privilegio communimus. Præſentis itaque privilegii pagina con firmamus, ut ſuper duas Provincias, videlicet ſuper ipſam Bituricenſem & ſuper Burdegalenſem Primatum obtineas, ſicut hactenus obtinuiſſe dignoſceris. Dioeceſes verò illæ, quæ intra eamdem Provinciam Bituricenſem ſitæ ſunt, in tua tuorumque ſucceſſorum poteſtate ac ſubjectione perſiſtere conſtituimus, videlicet Claromontenſem, Lemovicenſem, Rutenſem, Albigerſem, Cadurcenſem, & Mimatenſem; & ipſarum civitatum Epiſcopi ipſam Bituricenſem Eccleſiam Matrem & Magiſtram recognoſcant, atque tibi tuiſque ſucceſſoribus tamquam proprio Metropolitano obedientiam ac reverentiam humiliter exhibeant. Porro tibi tuiſque ſucceſſoribus uſum pallii confirmamus; atque ad majorem reverentiam per ſupradictas Provincias vexillum Dominicæ Crucis ante vos deferri concedimus, ſicut etiam antiqua Prædeceſſorum veſtrorum conſuetudo obtinuit. Præterea quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona impræſentiarum juſtè & canonicè poſſides, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Domino propitio, poteris adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Obeunte verò te, nunc ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem pręfatæ Eccleſiæ Canonici ſecundùm Deum & ſtatuta Sedis Apoſtolicæ canonicè providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat, hanc Eccleſiam vel perſonam tuam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalvâ in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtrę conſtitutionis paginam ſciens, contra eam venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictę ultioni ſubjaceat; Cunctis autem eidem Loco jura ſua ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia ęternæ pacis inveniant. Amen.

Eccleſiam hſc ſub Sedis Ap. protectione ſuſcipit.

Eidemque cõfirmat Primatũ ſuper duas provincias.

Bituricen. Archiep. Pallii & Crucis vexilli uſum per dictas Provincias confirmat.

Bona omnia Archiep. prædicto confirmat.

Electionem Archiep. ad Canonicos pertinere decernit.

Conſuetæ cõcluſiones, & clauſulæ.

LVIII.

Canonizatio S. Henrici Primi Romanorum Imperatoris.

Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Egelberto Epiſcopo, & dilectis filiis Canonicis Bambergenſis Eccleſiæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Juſſio Pontificis de inquirenda vita Henrici per legatos Apoſtolicos.

SIcut per literas & nuncios veſtros vobis mandaſſe meminimus, venerabiles fratres noſtros N. ſanctæ Rufinæ Epiſcopum, & N. Presbyterum Cardinalem, pro diverſis negotiis ad partes illas de noſtro latere delegavimus, eiſque viva voce injunximus, ut ad Eccleſiam veſtram accederent, atque de vita & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & literis ſuis nobis ſignificarent. Nunc autem eorumdem fratrum noſtrorum, & multorum religioſorum & diſcretorum atteſtatione: de caſtitate ipſius: de fundatione Bambergenſis Eccleſiæ, & multarum aliarum: quarumdam quoque Epiſcopalium Sedium recuperatione: & multiplici eleemoſynarum largitione: de converſione Regis Stephani, & totius Hungariæ, Domino cooperante, per eum facta: de glorioſo etiam ipſius obitu pluribuſque miraculis poſt ejus obitum ad ipſius corporis præſentiam divinitus oſtenſis, multa cognovimus; Inter quæ illud præcipuum & memorabile plurimum attendentes, quod cum Diadema Sceptrumque Imperii ſuſcepiſſet, non imperialiter, ſed ſpiritualiter vixit. In thoro etiam legitimo poſitus (quod paucorum fuiſſe legitur) integritatem caſtimoniæ uſque in finem vitæ conſervavit. Quę quidem nos omnia ſimul perpendentes, atque devotionem veſtram, & Eccleſiæ Bambergenſis, quę S Romanæ Eccleſiæ ſubeſſe dignoſcitur, diligenter conſiderantes, tametſi hujuſmodi petitio, niſi in generalibus Conciliis admitti non ſoleat, auctoritate tamen S. R. E. quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, petitionibus veſtris acquieſcimus, atque ejuſdem memorabilis Viri, cujus exaltationem exquiritis, ex fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, qui pręſentes aderant, communicato conſilio, memoriam inter Sanctos de cętero fieri cenſemus, & Anniverſarium diem ſolemniter celebrari conſtituimus. Veſtra itaque intereſt, ſic in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia & fidelitate perſiſtere, & ei dignę devotionis obſequiis reſpondere, ut ampliori beati Petri & noſtrâ gratiâ digni inveniamini.

Legatorum relatio, & aliorum atteſtatio de meritis ipſius Henrici.

Canonizatio ejuſdem Sancti ab ipſo Pontifice pronunciatur.

Datum Tranſtyberim II. Idus Martii.

Datum die 14. Martii.

ANASTASIUS IV.

PAPA CLXVIII.

ANNO ÆRÆ CHRISTI COM. MCLIII.

COnradus, patria Romanus, de regione Suburræ, ex Patre Benedicto, Sabinenſis Epiſcopus, electus eſt Romanus Pontifex, & Anaſtaſius IV. appellatus, die ix. Julii 1153. Sedit in Pon-

in Pontificatu ann. i. menſ. iv. dies xxiv. imperantibus in Oriente Manuele Comneno, in Occidente Friderico Ænobarbo, Imperatoribus; Obiit ſiquidem die ij. menſis Decembris anno ſequenti, & ſepultus eſt in Lateranenſi Eccleſia in porphyretico ſepulchro. Vacavit Sedes diem unum.

I.

Confirmatio prærogativarum omnium, a ſummis Romanis Pontificibus Canonicis Piſanis conceſſarum, ac precipue donationum eiſdem ab Eugenio PP. III. factarum.

Ex Ughell. Ital. Sac. Tom. III. ubi de Archiep. Piſanis.

Anaſtaſius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Leoni Archipresbytero, cæteriſque Piſanæ Eccleſiæ B. Mariæ Canonicis, tam præſentibus quàm futuris canonicè intrantibus, in perpetuum.

Exordium.

PIA poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus libenter annuimus, & prædeceſſorum noſtrorum fel. mem. Calliſti, & Eugenii Romanorum Pontificum, veſtigiis inhærentes Eccleſiam beatæ Genitricis Dei Mariæ, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus; Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem Eccleſia impræſentiarum ad fraternitatis veſtræ ſubſtentationem juſtè ac legitimè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & per vos eidem Eccleſiæ illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Eccleſiam S. Vivianæ in Soarza cum omni proprietate Canonicæ S. Mariæ cum adjacentibus, Eccleſiam S. Chriſtinæ in Chinſica, Eccleſiam S. Martini in Guaſolongo, Eccleſiam S. Mariæ in Mezzana, Eccleſiam S. Mariæ in Villarda, Eccleſiam baptiſmalem S. Mariæ in Arena cum ſuppoſitis cappellis & decimationibus, Eccleſiam de Vaticaria, Eccleſiam de Puſſignano, Eccleſiam de Faſiano, Eccleſiam S. Bartholomęi de Zumolo, Roccam de Comitello cum pertinentiis ſuis; quicquid & habetis in caſtello Jupellia & ejus pertinentiis, caſtellum de Scannello cum pertinentiis ſuis, & aliis caſtellis cum ſuis pertinentiis, quemadmodum a recolendæ memoriæ Beatrice, & Mathilda Comitiſſis, Eccleſiæ Piſanæ collata eſſe noſcuntur; quicquid habetis in curte, quæ dicitur Pappiana, & quicquid habetis in curte de Populogna, rubum Piſanæ civitatis, centum ſolidos de Ripa, qui dari propter cereum conſueverunt; quicquid habetis in caſtello & curte Caſtelli novi, & caſtelli veteris Camaiano; terram apud Carraiam Cundili, quam vobis bonæ memoriæ Cajetanus devotionis intuitu contulit, in qua Eccleſiam in honorem beati Joannis Euangeliſtæ aſſenſu veſtro ædificavit; terram quam habetis in Petriano cum Eccleſia S. Margaritæ & ejus pertinentiis, cenſum, qui vobis perſolvitur a ſontiariis, qui in ſtagno piſcant: In Sardinia Monaſterium S. Michaelis de Plajano cum Eccleſiis curtibus & aliis pertinentiis ſuis: officium Eccleſiaſticum, & beneficium populi Piſani in portu de turribus. Præterea veſtram matricem Eccleſiam plenæ dilectionis brachiis amplectentes, antiquas ejus & rationabiles conſuetudines confirmamus, unctiones ſcilicet infirmorum, & decimas Piſ. parochiæ bladæ, & juſſionis, Pecuniarum vero omnium tres ex integro perſolutiones tam de civitate ipſa, quàm de villis, burgis, & territoriis, quæ a majori Eccleſia baptiſma ſuſcipiunt; & oblationes vivorum & mortuorum, quę ad majorem Eccleſiam conferuntur, ut nullius unquam vobis veſtriſque ſucceſſoribus calliditate aut violentia ſubtrahantur, ſed in communem uſumfructum integræ ſtabileſque permaneant; idipſum, & de oblationibus miſſæ Epiſcopalis, quæ præſentibus Canonicis celebratur, ſtatuimus, excepto auro vel precio pro auro. Nec in majori Eccleſia ullus introducatur, vel ordinetur Canonicus, niſi communi Canonicorum, vel majoris partis conſenſu; ordinatum verò, nulli omnino Epiſcopo, liceat officio ſeu beneficio, ſive canonico privare judicio. Nullus etiam Eccleſias, quæ in proprietate Canonicę majoris Eccleſiæ ſunt, & earum clericos, præter communem Canonicorum, vel majoris partis voluntates ordinare, vel inquietare pręſumat. Olivas autem & cereos nulla civitatis & burgorum Eccleſia præter matricem Eccleſiam & præter Monaſteria, & in his pręter Monachorum, & familiarium uſum, benedicere præſumat, & præter ubi antiquiſſimè conceſſum eſſe dignoſcitur. Baptiſma in majori tamen celebretur Eccleſia, ſicut antiquitùs obſervatum eſt, excepto timore mortis. In Sabbato ſancto nullus miſſam cantare, & campanas ſonare pręſumat, donec apud majorem pulſentur Eccleſiam. Populares quoque proceſſiones niſi in majori fiant Eccl. Prẹterea præſentis privilegii auctoritate ſancimus, ut defunctorum Canonicorum bona nunc & in futurum a nemine auferantur, ſed in utilitatem Fratrum communiter viventium quietè & integrè dimittantur. Porro, qui ad majorem ſoliti ſunt Eccl: ſepeliri, ſepulturas ſolitas non relinquant. Sed qui ad aliarum Eccleſiarum tranſeunt ſepulturas, ſive in civitate ſive in burgis, judiciorum ſuorum partem quartam Eccleſiæ matrici derelinquant. In omnibus autem Eccleſiis, in quibus mortuorum exequiis intereſſetis, miſſarum vobis celebrationes cum oblationibus ſuis concedimus. Sane piorum Canonicorum electiones, & collationes Monaſterialium, & Cappellanorum, qui videlicet populo divina officia adminiſtrant, Epiſcopi & Canonicorum conſenſu fiant. Præterea Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſtatuimus, ut diviſio ſilvæ de Tumulo, ſicut a venerab. fratre noſtro Villano Piſano Archiepiſcopo ex mandato jam D. prædeceſſoris noſtri Papæ Eugenii facta, & nobis aſſignata eſſe dignoſcitur, futuris temporibus rata & inconcuſſa permaneat; nec quiſquam vobis vel ſucceſſoribus veſtris invitis diviſionem ipſam unquam præſumat infringere, ſive ratione qualibet perturbare. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat, præfatam Eccleſiam temerè per-

Secundum Rom. Pontificum privilegia Eccleſiam B. Mariæ Piſis ſub protectione Sedis Ap. recipiens.

bona omnia eidem confirmat.

quorum partem enumerat.

Canonicis quoque antiquas conſuetudines omnes confirmat

Ut nullus inibi Canonicus ordinetur abſque communi cæterorum conſenſu.

Olivarum, & Cereorum benedictionem in ea tantum Eccleſia fieri;

Bona defunctorum Canonicorum in utilitatem fratrum cedere;

Pro ſepultura quartam partem huic Eccleſiæ ſolvi; aliaque id genus jubet.

Villani Archiep. donationem, & PP. Eugenii ſuper id confirmationem ratas habet.

Solitæ clauſulæ.

perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalvâ in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſęculariſve perſona, hanc noſtrę confirmationis paginam ſciens, contra eam temerè venire temptaverit, ſecundâ animad. commonita, ſi congrua ſatisfactione ſe non emendaverit, poteſtatis ſuę prioris dignitate careat, & præterea ream ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, ac in extremo examine diſtrictę ultioni ſubjaceat. Cunctis autem in eodem loco juxta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut hìc fructum bonę actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem prẹmia ęternę pacis inveniant. Amen.

Ejuſdem Anaſtaſii PP. & S. R. E. Card. ſubſcriptiones.

EGO ANASTASIUS Catholicæ Eccleſię Epiſcopus ſs.
Ego Imarus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ugo Oſtienſis Epiſc. ſs.
Ego Gregorius Presb. Cardinalis tit. ſancti Calliſti ſs.
Ego Guido Presb. Cardinalis tit. ſancti Chryſogoni ſs.
Ego Ubaldus Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis ſubſcripſi.
Ego Jordanus Presb. Card. tit. S. Suſannę ſs.
Ego Octavianus Presb. Card. tit. S. Priſcę ſs.
Ego Joannes Presb. Card. tit. Equitii ſs.
Ego Otto Diaconus Card. tit. S. Georgii ad Velum aureum ſs.
Ego Jacintus Diac. Card. tit. SS. Sergii & Bacchi ſs.
Ego Otto Diac. Card. tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano ſs.

Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancellarii, VI. Id. Septembris, Indict. I. Dominicæ Incarn. anno MCLIII. Pontif. verò Anaſtaſii Papæ IV. anno I.

Dat. die 8. Septembris anno Domini 1153. Pontif. anno I.

II.

Privilegium, Beneventanæ Eccleſiæ, ejuſque Archiepiſcopis conceſſum ab Anaſtaſio PP. IV.

Huic Eccleſiæ conceſſa Privilegia videſis in Calliſto II. Leone IX. Gregorio V. Joanne XIV. XIII. & XII. Agapito II. Marino II. & Vitaliano.

Ex Ughell. Ital. Sac. Tom VIII.

Anaſtaſius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Petro Beneventano Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis, in perpetuum.

Exordium.

IN eminenti univerſalis Eccleſiæ ſpecula, diſponente Domino, conſtituti, ex injuncto nobis a Deo Apoſtolatus officio fratres noſtros Epiſcopos debemus diligere, & Eccleſias eorum gubernationi commiſſas protectione Sedis Apoſtolicæ communire. Eapropter, venerab. in Chriſto frater Petre Beneventane Archiepiſcope, veſtris poſtulationibus benignum impertientes aſſenſum, & Beneventanam Eccleſiam, cui auctore Domino præeſſe dignoſceris, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona, eadem Eccleſia impræſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propitio, poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Epiſcopatus videlicet Avellinum, Montem Marranum, Frequentinum, Arianum, Montem de Vico, Bivinum, Aſculum, Luceriam, Florentinum, Tortibulum, Montem Corvinum, Vulturariam, Civitatem, Draconariam, Larinum, Termulam, Guardiam, Triventum, Bojanum, Alifiam, Theleſiam, & ſanctam Agatham: Intra Civitatem Beneventanam Eccleſiam S. Petri Peccadoſſo, Eccleſiam S. Theclæ, Eccleſiam S. Martini, Eccleſiam S. Mariæ Antheoram, Eccleſiam S. Petri ſitam juxta Eccleſiam S. Petri de Medicibus, Eccleſiam S. Mariæ de Ancona, Eccl. S. Archelai, Eccleſiam S. Januarii de Græcis, Eccleſiam S. Mauri, Eccleſiam S. Paſchaſii, Eccleſiam S. Angeli, quæ eſt juxta Eccleſiam S. Mariæ Rotundæ: Extra verò, Eccleſiam ſancti Joannis de Plano, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Rocca, Eccleſiam S. Mariæ de Venticano, Eccleſiam ſancti Petri de Cardito, Eccleſiam S. Petri in Planiſio, Eccleſiam ſancti Theodori, Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Gildone: Abbatiam ſanctæ Mariæ in Strata, Abbatiam ſanctæ Mariæ de Coratæ, Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Gradellibus, & quidquid juris habet in Caſtro Montis Sarculi, & in Valle Caudina. Præterea concedimus tibi Pallii uſum ex more ad ſacra Miſſarum ſolemnia peragenda, ut videlicet eo infraſcriptis diebus infra Eccleſiam tantummodo utaris: In Natali Domini, Epiphania, Purificatione ſanctę & ſemper Virginis Mariæ, & in Annunciatione ejuſdem, Cœna Domini, & Paſchalibus feſtivitatibus, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, in feſtitate S. Joannis Baptiſtæ, in natalitiis Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptione, & Nativitate B. ſemperque Virginis Matris Mariæ, in dedicatione tui Archiepiſcopatus, & in Anniverſario tuæ conſecrationis die, in congregationibus Epiſcoporum, ordinationibus Clericorum, & conſecrationibus Eccleſiarum; præterea in traslatione Corporis beati Bartholomęi; quod tua fraternitas in ſecretario debeat induere, & ſic ad Miſſarum ſolemnia proficiſci; Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, eamdem Eccleſiam temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſubſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: ſalvâ Sedis Apoſtolicę auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtrę conceſſionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio de perpetrata iniquitate cognoſcat exiſtere, & a ſacratiſſimo Corpore

Beneventanam Eccleſiã ſub B. Petri tuitione ſuſcipiens,

Eidem bona omnia, Eccleſiaſque ſubjectas confirmat.

Pallii quoque uſum juxta antiquũ morem concedit.

Ipſamque Eccleſiam in bonis, juribus, cæteriſque omnibus debita frui tranquillitate decernit,

Statutis pœnis contra diplomatis hujus violatores.